

Summa utriusque iuris doctoris Raymundi w edycji Commune Incliti Poloniae regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque.

Starodruk, Biblioteka Jagiellońska, St. Dr. Cim. 8002

Odczyt: Kamil Sorka

Księga 2, rozdział 45, fol. XXI–XXIv

Ad testamentum faciendum quae requiruntur. Ca. XLV.

In factione testamenti necessario novem requiruntur. Unde versus: quis, quid, qui, quantum, quod, cui, cur, quomodo, quando. Et de omnibus per ordinem est dicendum. Testamentum potest facere omnis homo: exceptis personis XV. Versus:

Testari nequeunt impubes, religiosus,
Filiusfamilias, morte damnatus et obses,
Prodigus et stultus, dubius, servus, furiosus,
Crimine damnatus cum muto, surdus et ille,
Qui maiestatem lesit, sic cecus et ipse.

Glosa. Impubes, id est minor annis masculus vel femina, quia usum discretionis non habet, etiam quia heredem non habet quem in testamento debet instituere. Religiosus, id est quilibet regulari, qui professionem fecit, quia nil habet proprium. Totum enim dedit, cum se Deo obtulit. Attamen heremite et alii solitariam vitam ducentes possunt testari, qui abdicationem suarum rerum non fecerunt. Clericique seculares de hiis, quae intuitu persone sue habent et similiter de beneficiis non curatis bene testari possunt. De bonis autem ecclesie de rebus immobilibus nihil testari possunt. De mobilibus^{us} possunt dare cognatis suis et proximis et famulis pueribusque et infirmis secundum eorum necessitatem. Filiusfamilias testari non potest nec de propectitia, nec de adventitia, quantumcunque parentes eius admittunt. Ratio huius^{us}, quia testamentum ex libero testantis arbitrio procedit. Hii vero sunt in potestate aliorum, non sua. Si autem filiusfamilias pubes miles vel studens factus^{us} fuerit, tunc ei permissum est de armata vel litterata militia, id est de castrensi peculio vel quasi castrensi testamentum facere, quia in his similes sunt patrifamilias. Donationes tamen possunt facere parentibus^{us} consentientibus^{us}, quia donatio sapit naturam contractus. Ipsi autem contrahere possunt parentibus permittentibus. Dixi morte damnatus etiam propter quodcunque malefictum non potest, quia qui vitam propter malefictum perdit, etiam dispositionem de rebus^{us} suis perdit. Dixi obses. Qui pro capto datur, non potest testari, quia in potestate aliena non habet voluntatem. Item prodigus cui administratio bonorum suorum est ab iudice interdicta non potest testari, quia rerum suarum nullam habet potestatem. Item stultus, id est mente captus non potest facere testamentum, quia discretionem non habet. Dubius scilicet in fide vel hereticus testamentum facere non potest, quia omnia bona sua in manibus principum sunt, quorum esse dicuntur. [fol. XXIv] Furiosus testari non potest, quia mente et ratione caret. Quando vero habet lucida intervalla, quicquid tunc testatur, ratum habetur. Damnatus pro crimine famoso testari nequit, quia est infamis et iuris expers. Mutus qui nunquam locutus est, quia testamentum cum loquela perficitur. Ideo testari non valet. Surdus videlicet qui nunquam audivit testari nequit, quia nescit qualiter de rebus disponat. Item qui commisit crimen lese

maiestatis vel qui facit contra rem publicam utputa fide fragus, facere testamentum non potest, quia talis cecidit in penam corporis et rerum. Cecus scilicet a natura etiam testari non potest sine magna solennitate, quia faciliter decipitur. Attamen orbus bene potest testamentum facere.

[hasła: zdolność testamentowa, dziedzic testamentowy, darowizna, małoletni, osoba pod władzą ojcowską, zakonnik, żołnierz, skazany, zakładnik, marnotrawca, heretyk, osoba chora psychicznie, osoba ślepa, osoba głucha, osoba niema, osoba bezdzietna]